



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri  
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De  
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,  
insignes & peruetusti**

**Petrus <Chrysologus>**

**Lvgdvni, 1623**

De eisdem, Sermo XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](#)

*Hæc omnia tibi dabo, si procedens adoraueris me. O ausus  
diaboli, Deo dicit, adora me: sed sensit mox virtutibus  
Deum, pœnis iudicē, supplicem p̄m̄iis quem quæ-  
rebat: nam Christi nomine, nomine ieiunantis cœ-  
pit ab obsessis corporibus effugari, & dare tremens  
illi gloriam, cui superbus callidè irrogarat iniurias:  
ieiuniis vicit, ut nobis vincendi vires, vincendi for-  
Mat. 17. mam taliter largiretur. Hoc, ait, genus non eiicitur,  
nisi in ieiunio & oratione. Ieiunemus ergo fratres si  
volumus imitari Christum, si volumus fraudulentas  
diaboli superare versutias.*

*De eisdem, Sermo XIV.*

**E**cce tempus quo miles procedit ad campum, re-  
currit ad Dei ieiunia Christianus. Ecce tempus quo  
carnis ocia, quo mentis ignauia, quo ventris cura, &  
tota est familiaris obsequij deponenda torpedo. Ec-  
ce tempus quo in armorum cœlestium meditatione,  
anima & corporis exercendæ sunt vires. Ecce tem-  
pus quo residente Christo, astantibus angelis, nostra  
luctaminis exercenda est fortitudo. Nunc est tempus  
quo gula cum ieiunio, abstinentia cum crapula, cum  
luxuria castitas, cum perfidia fides, pietas cum impie-  
tate, patientia cum furore, cupiditas cum liberalitate,  
misericordia cum auaritia, humilitas cum superbia,  
sanctitas cum reatu, Christo remunerante confligit.  
Si quis ergo spectante Deo, cœlesti resonante iam tuba,  
angelico intidente occursu, cubiculi irretitus illece-  
bris, eneuatus molitie plumatum, resolatus in totū  
ingalibus blandimentis, ad exercitium virtutis venire  
neglexerit: perdit luctaminis præmium, virtutis glo-  
riam, certaminis palmam, iustitiae coronam: desertoris  
etiam criminē mulctabitur in futurum. Hodie fra-  
tres Christus rex noster commilitones suos de Eu-  
gelico

gelico allocutus est tribunali , indixit hostibus bella,  
promisit præmia pugnaturis, retulit bellorum causas,  
inimicorum dolos prodidit, & conatus : vbi, & quan-  
do , & quomodo configendum sit nobis triumphalí  
constitutione signauit. Et quamuis solus possit obti-  
nere victoriam, propter nos tamen, & nostram formi-  
dinem, adesse tota iussit præsidia de supernis. Qui er-  
go ista noluit audire, qui statuta regis nostri talia, &  
tanta , scire contempsit, iudicare, si non ipse se exuit  
nostræ militiae sacramentis , & cœlesti contubernio  
reddidit, & fecit extorrem. At vos fratres, qui sequi  
vultis in hoc quadragesimæ ieunio, ieuniij dominici  
formam pugnaturos vos , sicut prædiximus , contra  
vitiorum turmas, contra acies criminum, cōtra infor-  
mes concupiscentiarum formas, cōtra dæmonū to-  
tas aerias, totas diffusas, & innumeræ legiones , triū-  
phaturos vos ex ipsis quæ dominicum ieunium sub-  
sequuntur, temptationibus approbate. Vbi enim Domi-  
nus , quadragesimæ ieunium indefesso illo virtutis  
suæ aggressus est documento, mox diabolus occurrit  
pugnaturus dolis : quia ieunanti viribus obſistere  
non valebat. Quantum enim crapulationi deditis do-  
minatur, & ebriis, orantes timet tantum, tantum re-  
fugit ille ieunos, dicente Domino. Non eiicitur nisi  
in ieunio, & oratione. Sed qua fraude diabolus ten-  
tare ausus sit, audiamus : *Si filius Dei es, dic ut lapides  
isti panes fiant.* Audistis quid de ieuniis ipse sentiat, &  
iudicet inirnicus. *Si filius Dei es.* Videtis quia iam non  
hominem, sed Dei filium credit, quem liberum à ven-  
tris conspexerat seruitute. Sensit, sensit diabolus ieiu-  
num cunctis virtutibus anteferri. Ioannem viderat  
urbium delicias squalētis eremi habitatione mutasse,  
mollitiem carnis vestis asperitate calcasse , agresti ci-  
bo mundi totam frenasse luxuriam. Et quod solum  
deitatis

Mat. 17.

Matt. 4.

deitatis insigne est hominibus demississe peccata. Et tamen non ei dixit: *Si filius Dei es.* At ubi Dominum vedit iugiter ieiunantem, proclamat. *Si filius Dei es.* Errat diabolus, qui contra Dominum astutiæ suæ nequitias, & argumenta iaculatur. *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Quid est quod ieiunante Christo deitatis signa tota in sola panis promissione perquisit? Et quæ Dei filiū cōtinua ieiunij significatione præsentit, esse Dei filiū de prouisione panis, de cura vētris desiderat approbare? *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Quare nō dixit: *Si filius Dei es, dic ut homines, aut angeli, aut aliquid aliud fiant,* sed dic ut lapides isti panes fiant? Signū panis petit, qui signū ieiunij pertimescit. Signū panis petit, ut ieiunij tremēdū sibi refugiat signū. Panem malus ingerit cōsolator, ut virtutē mutet, ut propositum violet ieiunantis. Sed videamus quid respōderit de pane, panis qui de cœlo descēdit.

*Deut. 8.* *No in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Quā verè viuit in verbo Dei, Dei verbū.

*Matt. 3.* Quam verè panis non indiget pane. Quam diuinè lapides conuertit in homines, qui de lapidibus Abrahæ filios ad indicium suæ maiestatis exuscitat. Et quia impudēs inimicus nescit semel vinci, ad multiplicem vincentis triumphum. Statuit Dominum super pinaculum templi, & ait: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* O signum, mitte te deorsum, conuenientius dixerit, si filius Dei es, ascēde ad cœlum: cum sit hominis vtique ad ima cadere, Dei sit ad superna descendere. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Sic suis suadet, sic suis prouidet semper: sic suos eleuat, ut de alto præcipitet validius in ruinam. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Cōfiliis suis si diabolus prodit. *Mitte te deorsū.* Lapsus quærit, præcipitia imperat, & tali cōfilio per Africā martyres facit, sine clamore, dicendo, si vis martyre esse, mitte te deorsum

deorsū, vt eos impellat de alto ad mortē, non de humili tollat, & eleuet ad coronam. Et sicut se diabolus cōsiliis suis prodit, ita respōsione sua Dominus se ruelat, dū ait: *Non tentabis Dominū Deum tuū.* Se vtique *Deut. 6.* Dominū, se vtique Deū intelligi voluit, hæc dicendo, qui nō de pinna tépli tātū se dedit ad terrā, sed è cœlis se ad inferos usque iactauit, vt nō cadentiū forma, sed esset resurrectio mortuorū. Aduertite fratres, si possit saeuus inimicus, quamuis sæpe victus, homini cedere, qui audit & sentit Dominum Deum, & tamen adhuc tentare non desinit. *Posuit eū super montem excelsum & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & ait illi, hæc omnia tibi dabo si procidens adoraueris me.* Hæc dicit, non qui possit dare, sed fallere: nec promissa cōferre, sed ipsa auferre promissionibus, quæ habentur. *Hæc omnia tibi dabo.* Offert quæ Dei sunt Deo, authori quæ authoris sunt, repromittit. suadet vt adoret ab omnibus adorandus, & cæcatus ausibus suis ante iudicium iudici quemadmodum simplices deciperet, confitetur: cui Dominus nō tam testimonio legis, quam diuinitatis suæ respōdet imperio. *Dominum Deum tuum adorabis.* Tu Dominum Deum illum, cui genu flectunt omnia nō solum cœlestia & terrestria, *Philip. 2.* sed etiam inferna. Adorabis ergo tu in inferno stridens & eiulans eum, quem ad te adorandum modo temerarius desertor inuitas. Itaque diabolus toties, & taliter repercussus à Domino, circa nos seruos eius modò toto furore discurrit: & sicut Christus milites suos, ita ille suos alloquitur, & armat ministros. Dicit ergo diabolus, tempus non modo grauiter ieiunij obseruatione debellat, per gulam, per crapulam, per ebrietates, per luxuriam, homines attentare non possumus: armate lites, seminate discordias, excitate odia, concitate iras, insiprate mendacia, extorquere periuria

periuria, suggeste blasphemias, vaniloquia diffundite, infundite dolos, conflare auaritiā, lucra turpia prouidete, vt quod venter modò ad luxuriam non depedit, vel sacculus claudat, & reponat ad pœnam. Caue te ante omnia, ne misericordia, ne eleemosyna, ne humanitas præteritos labores nostros deleat, præsentes auferat, tollat futuros. Sed nos fratres, & nostri regis agnoscentes monita, & quæ diabolus suis mādauerit audientes, ieiunia nostra sine lite, sine clamore, sine ira, sine dolo, sine simulatione cum tota misericordia, charitate, pietate peragamus: vt Dominus Christus, qui spretis pecorum cruentis victimis, spiritus contriti & cōtribulati cordis sacrificium requisivit, cum silentio pacis ieiunij nostri hostias placatus & propitiatus assumat.

---

*In Psalmum XL. Sermo XIV.*

**P**RÆLIORUM peritis militaris tuba personat disciplinam, imperitis tantum terrificum dat clamorem: vt magistra bellorū dat suis vires, hostibus dat paurorem. Qui sine tuba dimicat, miles nō est: fertur furore, nō prælio, virtute nō agit, sed periculo: quærit perire non vincere. Hoc diximus, vt Christi miles intelligat, cœlestis quare prouisa sit cātilena. Constituti in cāpo sæculi pugnam cum diabolo, cum vitiis sustinemus. Quoties ergo nobis intonat propheticus clangor, toties nos in pace cautos, & in acie fortes, & in prælio reddit invictos. Namque hodie beatus Psalmista ad intelligentiam nos supernam cōnuocat per clamorem. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Et quæ est intelligentia, vbi est professa paupertas? Vis est intelligentiæ, si rimeretur viscera, si deprehendat occulta, si tecta nudet. Verūm subiecta oculis, exposita in publico, ingesta rebus, non est intelligere, sed videre. Nuditate